



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCIV. Ioannis Papae VIII. Ad Angelbergam Avgvstam. Significat se
modo absoluere nolle Anspertum archiepiscopum, sed si in Synodo
crimina, quae obiiciebantur, diluerit, tunc eum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

six pacis & vnitatis , Romam reuerti , nobisque omnia sub certa relatione debebatis referre . Et quia primam legationem vobis commissam idonee non peregistis , secundam vobis ideo committere non debebamus : tamen apostolicæ miserationis benignitate vtentes , & in hac secunda legatione fideliter perficienda , vos huic Petro religioso presbytero cardinis nostri , familiarique nostro sociamus : quatenus ea , quæ pro pace & vnitate ecclesiæ Dei agenda sunt , secundum apostolicos nostræ auctoritatis apices , & secundum ^a commonitorii nostri tenorem capitulatim descriptum , sagaci valde intuitu simul agatis ; & ita definiatis , vt gratiam nostram , quam prius inobedienter agendo exasperasti , nunc fideliori deuotione operando , placabilem habere possitis . Data mense Augusto , indictione XII.

NOTA.

^a Commonitorii nostri .] Commonitorium ipsum , cuius hic fit mentio , reperitur recitatum , sed a Photio falsatum , in actione secunda Synodi Photianæ , octauæ mendaciter dictæ . Quod etsi non inueniatur inter Latine scriptas epistolas ipsius Ioannis , vt ex autographo possit argui falsitatis ; tamen ex multis aliis idipsum consequi facile possumus , vt patebit infra in notis Concilii Romani sub Ioanne VIII .

EPISTOLA CCIV.

IOANNIS PAPÆ VIII.
AD ANGELBERGAM AVGUSTAM.

Significat se modo absoluere nelle Anspertum archiepiscopum , sed si in Synodo crimina , quæ obiiciebantur , diluerit , tunc eum excommunicatione absoluturum . ait se pro Ludouico imperatore in anniuersario eius die sacra facturum .

Dilectæ ac spirituali filiæ Angelbergæ imperatrici .

Pro affectu petitionis vestræ preces , quibus nos super absolutione excommunicationis Ansperti Mediolanensis archiepiscopi precata es exaudire , secundum collatum nobis ligandi soluendique diuinitus potestatem , non prætermitteremus : & maxime propter annuam commemorationem diuæ memoriae domini Ludouici , quon-

dam imperatoris Augusti, quæ in proximo celebranda est. Sed quia synodali eum decreto pro suis negligentiis, & præsumptionibus, sicut ipsa bene cognoscis, excommuni-
cauimus, absque eorumdem fratrum, & coepiscopo-
rum nostrorum, cum quibus in eum excommunicationis
sententiam promulgauimus, consensu & voluntate nunc
absoluere nolumus; ne ab his, qui vel desiderio, vel negli-
gentia ecclesiasticam disciplinam contemnunt, & multa
non præsumenda præsumunt, canonicum paruipendatur
iudicium. Porro cum ad nominatam Synodum, quam
secundum sacros Canones Spiritu Dei conditos quarto
Idus Octobris, Domino annuente, celebratur erimus, vel
ipse venerit, vel e latere suo venerabiles confratres &
coepiscopos suos direxerit, qui nobis, & sanctæ Synodo
de his, quæ illi obiecta sunt, idonee satisfaciant: tunc post
veram satisfactionem, ab omni eum excommunicationis
nexu proculdubio absoluemus, & quasi fratrem, & com-
ministrum, in nostræ communionis confortio incunctan-
ter habebimus: & ideo pro prædicta annua commemora-
tione ipsius domini & senioris vestri ne turbemini, quod
modo vos pro absolutione præfati archiepiscopi non au-
diuimus. Nam in eodem die, quo ipse de sæculo migra-
uit, pro animæ illius requie sempiterna, sacrificium eri-
mus Domino oblatur: etiam & pro anima Supponis fra-
terna moti compassione omnipotentem Dominum de-
precamur, ut suorum absolutionem valeat percipere de-
lictorum.

Sacrificia,
& oratio-
nes pro de-
functis.

EPISTOLA CCV.

IOANNIS PAPÆ VIII.
AD LANDVLFVM ET LANDONEM.

Scribit Traiectum se iturum, & quæ paci eorum condu-
cant, curaturum: ibique cum de aliis, tum de Landul-
fo Capuanæ ecclesiae episcopo electo aëturum.

*Dilectis viris Landoni filio Landonis, & fratribus eius, seu Lan-
dulfo filio Landenulfi, eiusque germanis.*

RECEPTIS atque perlectis literis vestris, quas nostro
pontificio direxistis, quanta pace, & concordia vos
Concil. Tom. 24.

Hh ij